

De rapina Sabinarum

Romulus Romanis imperabat. Sed Romani paucas feminas habebant. Itaque Romulus apud vicinos Sabinos auxilium et conubium quaerebat. Sed Sabini Romanis non credebant et conubia recusabant, nam Romanorum potentiam timebant.

Romulus bonum consilium accipit; morbum simulat, ludos ad deorum gloriam parat; in ludos non solum Romanos, sed etiam Sabinos invitat.

In ludis multi Sabini erant. Sed in spectaculo Romani Sabinorum filias capiunt et rapiunt. Sabini viri fugiunt, Sabinae puellae flent. Romulus ad puellas accedit, Romanorum factum explicat, Sabinarum iram minuit, puellae Romanis cum laetitia ignoscunt.

Sabini viri autem puellas recuperare cupiunt. Mox copiae Sabinorum ante Romae muros pugnam parant. Nunc iterum Sabinae puellae vocare incipiunt: „Sabini, patriae famam bonam defendere cupitis. Sed filiae vestrae iam Romanos et Romae terram amant et diligunt. Sabini cum Romanis bellum gerere non debent. – Romani, si puellas Sabinas amatis, familiam nostram interficere non debetis. Neque Romanorum neque Sabinorum victoriam cupimus, nam in copiis Romanis ac Sabinis amicos habemus. Sabini et Romani, si pugnare cupitis, primum interficite puellas Sabinas, causam pugnae!“

Itaque Sabini ac Romani arma deponunt. Romani in matrimonium Sabinas ducunt, puellae sunt beatae; Sabini cum Romanis habitant et Romae gloriam augmentant.

Ex: Pech, Jiří. *Latina pro gymnázia I.* Dotisk 4. vydání. Praha : Leda, 1998. ISBN 80 85927-47-0. s. 94.